HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, UNVOLLSTäNDIG

Entstehungsort unbestimmt, 12. Jh. Seite 19r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35480
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

sumit. significans angelum qui Christo resurgente lapidem de monumento
tulit. Communicato sacerdote mox calix de altari tollitur. quia
Christus resurgens ultra non moritur. et corpus eius in sepulchro non invenitur.
Diaconus sanguinem distribuit quia angelus resurrectionem domini innotuit.
Subdiaconus corpus domini accipit a diacono et fert presbiteris frangendum. ipso
designans quod mulieres verba in resurrectione domini ab angelo percepe-
runt. et apostolis detulerunt. ipsique omni populo predicando distribuerunt.
Cum apostolicus ab altari descendit. populus communicat. quia cum Christus ab ara cru-
cis descendens a morte resurgit. populus eterna gloria participat. Et postea
oblatam frangit quia dominus in emaus panem discipulis fregit. In tres par-
tes dividit oblatam. sibi una retenta. duas diacono et subdiacono
tribuit. quia dominus fracto pane unam partem sibi. duas cleophe et luce
divisit. **De tribus partibus oblate.**

Oblata non integra sumitur. sed in tria dividitur. unum in calicem mittitur.
aliud a sacerdote consumitur. tercium in pixide morituris ad viaticum
reponitur. Quia corpus domini est triforme. illud quod de maria sumptum
a morte resurgens celos penetravit. et illud quod adhuc in electis
in terra laborat. et illud quod in sepulchris iam pausat. Pars in calicem
missa. est corpus domini iam sumptum in gloria. Pars a sacerdote comesta vel a
populo est corpus Christi. id est ecclesia adhuc laborans in terra. Pars in altari
relicta. est corpus domini in sepulchris quiescens id est ecclesia in Christo mortua
per unionem corporis Christi resurrectura. **De tribus communicantibus.**

Primum episcopus communicat quia Christus coram apostolis partem piscis assi et favum
mellis manducabat. reliquis eis dabat. Deinde ministri commu-
nicant quia dominus cum discipulis ad mare tyberiadis prande-
bat. Post hoc populus communicat. quia dominus ascensurus cum multitudi-
ne discipulorum comedebat. Corporale plicatur quia sudarium involu-
tum invenitur. Agnus dei quod cantatur in communione significat leticiam fidelium
de Christi resurrectione. Oratio quam postea episcopus dicit. est benedictio qua dominus
ascensurus fideles benedixit. Diaconus se ad populum vertit. ite missa est di-
cit. significans angelos qui apostolos alloquentes eos abire fecerunt. atque
eis Christum ad iudicium rediturum predixerunt. Clerus deo gratias respon